

disputationis autem lecta exemplum petunt nostri, & copia sibi istius ut fiat, minimè impetrant. Caesar sat esse disputationum pretendens, mandat, ut nostri ad partes Pontificias redeant, quarum defensionem deinceps seuerè suscepturus sit: hoc nisi faciant, se grauius animaduersurum esse in ipsos, tanquam rebelles, & ademturum eis hac & illa. Elector Iohannes Latina, Gallica, & Germanica lingua scriptum exaratum, quo sua fidei capita comprehensa esse sciebat, Casari tradit, & se nec latum unguem inde discessurum esse profuerit, quidquid sane suscipiatur & eueniat. Landgravius relictis legatis discedit Augusta, qua res vehementer Casarem offendit. Post multas actiones nunc in frequenti senatu, nunc in paucorum & delectorum ex multis ad hanc deliberationem conuentu, institutas, tandem Caesar spem facit futuri Concilij, hac lege, ut nostri spacium deliberandi ad menses nouem habeant de reuersione ad Pontificiam religionem, & interea nihil innouent, & in suis ditionibus doctrinam Pontificis non impediant, restituant etiam monachos & sacrificos, quos remouissent, huic decreto nisi pareant, se de opprimenda ipsorum religione, cogitaturum esse. Nostri respondent, quoniam ita secum agatur, rem totam se committere Deo. Elector igitur Saxonia 13. Septembris Augusta discedit, petita à Casare uenia, & exhibita ei Apologia Confessionis, opposita consutationis Pontificia precipuis tam capitibus, quam

quam